

**Dissertatio inauguralis medica, de potestate artis medicae ... / Publico
eruditorum examini submittit Ernestus Albertus Uderstadt.**

Contributors

Uderstadt, Ernst Albrecht.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Litteris Christiani Henckelii, [1712]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g4d9cn34>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

POTESTATE ARTIS MEDICÆ,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQVA,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

PRAESIDE

DN. D. GEORGIO ERNESTO STAHL,

CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RERUM

NATURALIUM PROFESSORE PUBLICO ORDIN. ACAD.

NAT. CUR. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO &c

DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO

omni Observantia atque Honoris cultu et atem colendo,

PRO GRADU DOCTORALI,

Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis,

More Majorum Solenni obtinendis,

Ad d.

Sept. M DCC XII. horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publico Eruditorum Examine submittit,

ERNESTUS ALBERTUS Hderstadt/

ILSENBURGO - WERNIGERODENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN ANATOMIA MEDICA

OPTIMUM ARTIS MEDICAE

LECTORE MAGNifico

DE ANATOMIA MEDICA

FRIDERICUS WILHELMUS

PRINCIPES POSITIVE

DE ANATOMIA MEDICA

IN ACADÉMIA PRINCIPALIS

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA MEDICA



PROOEMIUM.



Quantum damni omni-

bus bonis & legitimis contempla-
tionibus objiciat, debiti ordinis,
& respectuum diversorum, negle-
ctus, ut ipsa sana ratio facile di-
scernere potest, ita tantò magis te-
statum reddit quotidiana experi-

entia; dum omnis utique aberratio intellectus, non alii rei certius innititur, quam vel defectui omnium hujus circumstantiarum, vel neglectui veræ discretionis, quo ordine circumstantiæ illæ a se mutuo pendeant, & quomodo ad ultimam totius rei constitutionem concurrant seu conspirent. Quod eruditos, ut vulgo appellamus, attinet, clarius est luce meridianâ, quantum inter illos differentiæ constituent, objecta circa quæ versantur, vel memoriæ magis, vel intellectui, dicanda atque demandanda. Ibi enim literaria eruditio, & historica, ita ut simpliciter, immensum quantum plus memoriam, quam judicium concernens, longè minus aberrationis involvit, dummodo assiduitas & industria conquirendi, ne quid simplicium circumstantiarum o-

mittatur, sufficit ad litteratam hujusmodi eruditionem: ubi vero non solum comparare, sed è multâ atque perspicaci comparatione, tandem ultimam collectionem elicere, necesse est, ibi non solum curiosiorem laborem, sed etiam longè circumspectiorem electionem, requiri, manifestum est. Unde facile est observare ingentem diversitatem numeri, inter literatos, & doctos, eruditos. Non injuria autem hic conqueruntur multi scholasticarum rerum curiosi, de otiosiore disciplinarum Philosophicarum simplicius theoreticarum, aut instrumentalium, in scholis informatione; quando illæ non tam mox ad ipsa exempla transferuntur, & multitudine plane exemplorum, usus earundem legitimus ostenditur: sed velut in abstracto, inanes quasi ideæ, & definitiones verbales, memoriæ, aut ad minimum simplicissimæ phantasiæ, objiciuntur: usus interim ad ipsas res, cui hujusmodi disciplinæ unicè destinantur, præteritur & negligitur. Cujus rei exquisitissimum exemplum atque documentum præsto est, in verâ & reali doctrinâ Causarum, animis discipulorum ita imprimendâ, ut non tam, tanquam ad scabellâ scholastica res, quas præ manibus habere in altioribus studiis debent, revocent; explanando atque demonstrando, quod in substratâ materiâ, hæc sit causa efficiens, illa causa materialis, ista ratio formalis, illa instrumentalis, ista denique finalis; quomodo hæc verè habeant respectum impulsivum, illa subjectivum, ista objectivum, vel formalem, vel finalem, illa energiam, intentionem & directionem principalem, hæc habilitatem & aptitudinem mediatoriam, ministerialem &c. & quomodo hæc omnia se habeant ad actum

&

& effectum, alia propius aut immediatè, alia mediatè & remotius: sed potius res ipsas solum tali ordine contem-
plando atque evolvendo, verum ordinem in ipsa re ser-
vando, dilucidam rei cujusque indolem ita sistant atque
exhibeant. Frustra autem profecto sunt, quicunque
hanc realem, non tam contemplandi, quam tractandi
methodum, cum inversâ illâ alterâ confundentes, odio-
osâ illâ, & quasi ridiculâ scholasticarum tricarum nomi-
nali recitatione, contemnunt, & condemnant: Cum
potius vera illa scholastica inanitas, unicè arguenda ve-
niat, in simpliciter ideali illâ & abstractâ talium respec-
tuum inculcatione, & perpetuâ nominum atque defi-
nitionum repetitione & applicatione: Ordo autem con-
templandi ipse, rebus tractandis adhibitus, anima sit o-
mnis realis evolutionis, distinctionis, & verè discreti
conceptus, de qualibet re formandi atque servandi; Ita
ut hoc neglecto, nullus unquam detur aditus aut even-
tus, ad cujusquam rei verè distinctam, sive perceptio-
nem, propositionem atque demonstrationem. Imprimis
autem in rerum non tam opinabilium aestimatione,
quam verè ita existentium discretionem, confusio hujus-
modi respectivæ collineationis, fundamentum constituit
omnis inscitiae: Unde in Physicis, tanto magis autem in re,
non tam ad nudam scientiam, quam efficaciam practicam
ordinate exequendam spectante, Arte Medica, quas tur-
bas dederit, & confusiones ad hunc usque diem fove-
rit, minùs exquisita hujusmodi methodi observatio,
pluribus certè, quam quidem expedit, documentis de-
monstrari posset: sed cum præsens temporis nostri con-
ditio hoc non ferat, subsistemus in unâ tali, & imprimis

ad ipsum fundamentum totius artis pertinente. Nempe, cum INAUGURALIS DISSERTATIONIS eligendum esset thema, visum nobis est tali scopo dignum subiectum, demonstratio veræ POTESTATIS ARTIS MEDICÆ: ut ita ingens illud scandalum, confusio Theoriarum Physicarum in negotio Anthropologiæ, cum Theoriâ verè Medicâ, partim tolli, & suum cuique tantò iustius & exquisitiùs tribui atque vindicari possit.

Faxit DEUS T. O. M., ut hoc nostrum propositum doctrinæ Medicæ non solum utile, sed maximopere necessarium ad optatum finem deducere, & tam ostensione, quam assertione veritatis potiri valeamus.

Thef. I.



DE POTESTATE ARTIS MEDICÆ verba facere, dum nobiscum constitui-
mus, breviter, & tanquam ex abundanti,
pro vero sensu, & significato horum ver-
borum, aliqua præmittere, non inutile
duximus; dum interim ipsâ tractatione,
vis atque pondus negotii, volente Deo, enucleabitur at-
que ostendetur. *Potestatem nempe Artis* dicimus, illud,
quicquid *Medicus*, pro *salutari* usu *vitæ* atque *sanitatis*
humanæ, ita *perpetrare* & *conferre* valet, ut ab ipso illud
reverà præstitum esse, in dubium vocari non possit. Dum
autem de *Medicæ artis potestate* loqui pollicemur, id ipsum
quasi præsignificamus, quod non de qualibet in humanum
corpus *agendi potestate*, loqui constituerimus; sed de hac
ipsâ, quæ, ut modo dictum est, ad *salutarem* usum, pro
vita atque *sanitatis conservatione*, efficax sit. Aliæ enim
artes, aliæque *potestates*, quæ *damnum* potius corpori af-
ferre valeant, quam *saluti* ejus inservire, utique ad *Medi-*
cam

cam artem non pertinere, quilibet facile intellexerit. Cum unicus hujus, atque totus, scopus sit & finis, *saluti* corporis intentum esse, & tam *conservationem* ejus, aut *preservationem* à nocumentis, & *vindicationem* ab incumben- tibus detrimentis, consilio & auxilio promovere, & præ- stare.

Th. II.

Quamvis autem ad *posteriores* potius tractationis no- stræ partem, nempe ad *usum* hujus considerationis, reserva- ri posset *contra distinctio Theoriæ* quasi hujus *potestatis*; con- ferenda ad contemplationes, huic potestati parum aut nihil conferentes: quia tamen hoc negotium veluti *Protheoriam* involvit, non tam simplici *equivocationi*, quam valde usi- tato *abusui* confusionis, (quia hæc potestas *Medica*, cum *impotentia* aliarum considerationum committi & collidi so- let,) evitandæ necessarium: placet propterea, velut an- ticipando, rem hanc præmittere, ut deinde tantò since- rior atque planior institui possit ipsius directi thematis per- tractatio.

Th. III.

Antiqua nempe admodum querela, vulgatissimis etiam- sermonibus, agitari solet, de ingenti *diversitate Theoriæ at- que praxeos* Medicæ. Cui pollicem premit, aut potius ve- stigia legit. altera, nec ipsa multò junior, assertio, quod, ubi *Physicus desinit*, ibi *incipere* debeat *Medicus*. Videntur duæ hæ annotationes, veluti digito designare, necessariam quandam *duplicem* discretionem; primo quidem, quod o- mnino dari possit atque soleat *Theoria* aliqua, quæ tamen *Medicis* usibus nihil quadret aut inserviat. Secundò, quod *Physicæ* considerationes corporis humani, non commisceri debeant cum *Medicis* ejusdem considerationibus; sed poti- us ita ab illis seorsim haberi, ut ubi ab illis *desistere* incipit Me- dicus, demum *initium* facere possit atque debeat propriarum
su.

suarum, *Medicarum*, considerationum atque æstimationum.

Th. IV.

Altius sine dubio repetenda esset consideratio diversitatis hujus, nisi pluribus jam locis atque modis, hoc egisset D. D. Præses; nominatim autem Programme: *Quis bonus Theoreticus, malus tamen possit esse Practicus*; & proprio schediastmate, de *Alienis, à doctrina atque studio Medico secernendis & arcendis*. Ubi nempe liquido edisseruit, quod Theoria illa, quæ *praxi Medicæ* inutilis existat, propriè sit *nuda Physica & historica* scientia: quæ, quantumcunque *veram* in se, conditionem atque constitutionem corporis humani, investiget atque perscrutetur, tamen directam illam collineationem ad verum *usum* atque *potestatem artis*, neque respicit, nec assequitur. Illud vero demum verè *Medicum* habendum veniat, quod *ad finem artis*, & *media* huic *fini* verè quadrantia atque ministrantia, inservit: quod, inquam, *instruere* potest Medicum, *quomodo, & quousque* & quibus propriè constitutionibus atque conditionibus corporis, efficax consilium & auxilium, invenire atque adhibere ipsi concessum sit.

Th. V.

Hi nempe limites, cum propriè circumscribantur *potestate illâ artis*, de quâ nobis habendus est sermo; licebit tantò magis præsenteloco præmonere, quod omnes considerationes atque scientiæ, de constitutione corporis humani, etiam *ægri*, aut ad ægotandum *dispositi*, quæ tamen nullam eximiam, nedum exquisitam, *viam Medico* præmonstrant: ad quamlibet potius aliam, quam verè *Medicam, Theoriam* aut *artem*, referendæ veniant. Eo ipso vero etiam prudenter cavendum, ne à *Medico* scopo *alienæ* hæ occupationes, animum ita distineant & abducant, ut, dum his tempus suum atque studium Medicus addicit & impendit, interim obliviscatur illorum, quæ *proprio suo scopo*,

scopo, non magis *utilia*, quam simpliciter *necessaria* existunt: nedum ut penitus in fonticum illum errorem incidat & impingat, ut persuasum sibi habeat, esse *altera* illa Theoremata, ipsum illud, quod eum, *ut Medicum*, deceat, & *quà tali*, *utile*, imo *necessarium* esse possit. Quæ res, uti quilibet circumspectior vix crediderit, quod evenire possit, adeoque cautione hic opus sit: nemo tamen peritior, & rebus his examinandis animum decenter applicans, diu ignorare poterit, quod, præter omnem fidem, error hic *familiarissimus* inveniatur.

Th. VI.

Quod ipsum ut tantò evidentius elucescat, instruemus tractationem nostram de *Potestate Medici*, ea methodo, ut primò *remotivè* procedentes, intueamur, quid *non sit in potestate* Medici; sive, in quas condiciones atque circumstantias constitutionis corporis humani, Medicus *nihil*, aut quàm *minimum*, juris atque potestatis habeat: Et tunc demum demonstramus, in quas nam hoc ipsum illi verè competat.

Th. VII.

Affirmamus itaque *primo* loco, quod Medicus, seu *Ars tota Medica*, *nullam potestatem* habeat, in *texturam* atque *structuram* partium corporis *solidarum*. Intellige, *intimiorum* atque *penitiorum*, singularum fibrarum & molecularum, (è quibus majores partes denique constantur atque exstruuntur,) efformationem, atque conformationem. Licet enim magnas & quasi rudes partium solidarum moles, *Chirurgia* attingere & versare possit; longissimè tamen hoc abest ab intimiore, *per minima*, singularum compage: quæ universa longe remota est, non solum à *Chirurgica*, sed & omnis reliquæ *Medicæ artis*, tam contactu, quam quocunque auxilio & effectu.

Th. VIII.

Tantò magis autem *extrà omnem potestatem artis*,
B
quan-

quantumcunque *directam*, imprimis autem *salutiferam*, positus est *Actus tegendi, struendi, efformandi* atque *conformandi*, solidas corporis partes; eò usque, ut si vel punctum physicum, aut quod acus cuspidem æquaret, in corpore *deficeret*, *directo actu* suppeditare & supplere hoc ipsum, ut fieret, & quod scholæ loquuntur, in esse deduceretur, nulla prorsus *ars* valeret: utpote quæ *potestas* & *energia*, soli *insito* illi atque *immanenti activo* principio, unice concessa est, & ab illo solo expectanda.

Th. IX.

Absit autem, ut hic commoveantur animi solertissimorum & operosissimorum *Anatomicorum*, si ab hac assertionem, certe planissime resultantem, percipiant consequentiam, quod omne illorum studium & conamen, *Medicis* usibus supervacuum & simpliciter inane existat. Non propterea reputabunt, quod oleum atque operam perdidderint, cum utique lubentes confiteamur, quod *Physicæ* scientiæ, aut ad minimum *historiæ*, dictum hoc illorum studium, non utile solum, sed omnino necessarium, existat; quo itaque intuitu, quodcunque studiis suis pretium constituere ipsis visum fuerit, nos certe ne hilum illi detrahemus. Illud solum omnimodo tuemur, quod *Medico usui*, propterea nihil commodi afferat, *curiosior* atque *operosior Anatomia*, quia in omnes illas res, quas hoc evoluit, tractat, & considerat, *Medica ars*, nec ad *conservandum*, nec ad *reparandum*, ullam minimam habeat energiam atque *potestatem*: sed omnis, quæ unica ab Anatomia spectanda venit, *historica* harum texturarum notitia, & si quæ daretur *scientifica* earundem ætiologia, unice & simpliciter ad *Physicam*, tanquam scientiam, in *sciendo acquiescentem*, non vero ad *Medicinam*, ut *artem efficacem*, pertineat, atque referenda veniat.

Th. X.

Porro, nihil *potestatis propinquæ* habet *ars*, *positivo* qualicunque effectu, in *Mixtionem* corporis, Dico, neque

que *materialiter*; dum nihil suppeditare valet, nisi *remotas* materias, è quibus *sanguis* æque, atque tanto magis *solidiores* partes corporis, *misceri*, & *materialiter* constitui possit: neque *formaliter*, in ipsum *actum* mixtionis. In *præternaturales* autem etiam materias, non *opinabiles* solum, & mentis aliqua fictione supponendas, sed verè & realiter *existentes* atque demonstrandas, quam parum similiter *efficacie* habeat *ars*, demonstrant perpetua illa, constantia, universalia magis, quam particularia, notoria recte attendentibus, exempla, imò documenta, quum verè exigua, imo nulla passim, sit efficacia *simplicis Alterationis*, in plerosque morbiferas materias. Cujus rei nullum evidentius postulari potest documentum, quam illud, quod in plerisque omnibus, (*paucissimis* sane excipiendis, neque fere communissimè in ullam considerationem venientibus,) morbis, earumque *materiis* debellandis, non solum universus morbi *decursus*, etiam sub assiduo usu laudatorum talium *alterantium*, sine *evacuationibus* idoneis, nunquam decedat: sed etiam, qui decantatis talibus *alterantibus*, in morbis talibus utuntur, neque tempore *citius*, sive *melius* & *commodius*, sive, quocunque tandem respectu, finaliter, ad sanitatem revertantur, quam alii, qui vel nullis, vel plane aliis, remediis, usi fuerunt. Excipimus, inquam illos, nequaquam tamen hos etiam omnes, casus, ubi *immediatus* contactus medicamenti cum materia morbida conceditur.

Th. XI.

Ubi parum iterum nostrâ interest, quomodo hanc nostram assertionem laturo sint illi, qui in deprædicandis, & per omnes Rhetoricas figuras exornandis, hujusmodi *alterantibus* remediis, occupantur. Nisi enim luculentâ atque *manifestâ*, nihil ambiguâ aut *equivocâ*, experientia demonstraverint, quod nostra provocatio, secundum modo allegatas circumstantias, ad nimium quam notam atque constantem experientiam, veritatis suffragio destituatur,

nihil est quod nobis, sed simplici atque sanæ rationi, sub-
sumptioni, atque conclusioni, succenseant: quam proinde
alio modo in suas partes trahere atque flectere, ipsis inte-
grum relinquimus.

Th. XII.

Ita etiam circa *res* reliquas vulgò dictas *Naturales*,
utpote *mixtionem*, *conformationem*, & *usum* corporis, im-
primis è *conformatione*, concernentes, nulla similiter est
potestas artis, nisi admodum *remota*, imo communissime
ne talis quidem.

Th. XIII.

Circa *res* autem *Non-naturales*, pro *Aëris* quidem,
caloris, *frigoris*, *humiditatis*, regimine, *potest* aliquid con-
sulere *ars* recte instituta; sed uti, communissimè, vel soli
præservationi talia consilia quadrant; vel in morbis jam
præsentibus, non nisi *accidentalem*, aut *particularem*, re-
spectum involvunt: maximam autem partem, hæ res, tali tem-
pore, solum causarum *occasionalium* vim, ad producendos
morbos referunt, ita, ut jam inductis morbis, ad has non
amplius efficax dirigi possit artis auxilium: dilucescit hinc
etiam, quod non adeo longe sese hic extendat *artis pote-
stas*, imprimis *positiva* atque *directa*, ad *aërem* ipsum cor-
rigendum: sed solum *privativa*, ad cavendum atque dis-
svadendum. Quæ insuper res, à vulgari experientia ita
jam propemodum in vulgus notæ sunt, ut *praxeos Medi-
cæ* artificialis, & à *Medico* demum petendi consilii, mini-
mam partem absolvant. Interim relinquimus utique, hanc
ipsam etiam scientiam, & quantacunque tandem est, *pote-
statem*, Arti, ut *consiliis* suis auxilia adversus hujusmodi no-
xas *aëris*, dirigat atque instruat.

Th. XIV.

Circa *cibos* & *potus* etiam, habet utique *ars* similem
potestatem, ut secundum bene instructum intellectum, quid
è talibus rebus, corpori magis aut minus molestum, aut
plane

plane noxium, esse possit, similiter *consiliis* suis homines instruat: imò è *Physico-Medica* scientia & experientia, *coquinariam* artem doceat, quomodo *condimentis* succurrendum sit variis *eduliis*; è *Chymico-Physica* scientia & experientia, quomodo usitati *potus*, *fermentatione* legitimè ita præparandi, ut *utiles* corpori, aut minus noxii evadant. Interim, uti hæc etiam res, magis ad præcautionem atque *præservationem* pertinet, ne à talibus assumendis læsio aliqua eveniat: ita ubi jam evenit, ne *ultrà* ab iisdem causis foveatur aut exasperetur, præcipuum *consilium* est potius, quàm auxilium, *abstinentiam*, à talibus imperare, adeoque magis *privativè*, quam *positivè* opitulari.

Th. XV.

Habet autem etiam hæc res, quamvis ad *scientiam* Medicam utique pertineat, tamen, quantum ad *praxin clinicam* attinet, illam dispositionem, ut etiam prudentiores, reliquæ *artis* Medicæ ignari, tamen hujus partis tantam passim habeant notitiam, ut sæpe *consilium* tale ita præcipere possint, ut ne quidem ad *Medicum* consultatio illa deferatur. Imò in morbis, impotens & immorigera patientium *intemperantia*, satis familiariter circa tales res occupatur, quas vel ipsi, nedum alii, è notoria experientia satis certò sciant, *noxias* sibi faciliùs, quam utiles, easdem futuras esse; ut adeo plus ponderis hic habeat *civilis* efficacia *consilii* circa tales res à Medico propositi, nempe *autoritatem* forte majorem, quam necessitatem, simpliciter ab *arte*, aut *systematico* artifice (qui totum artis systema calleat,) *consilium* hoc unice expectandi.

Th. XVI.

Uti vero certissimus intellectus, è *Physica* scientia fuit, de *utilitate* aut inutilitate, *necessitate*, aut supervacua curiositate, *Ciborum* & *potuum* variorum, *quatenus* *variorum*; ita præcipua *potestas* Medica, fundatur, in commendando atque præscribendo victu *simpliciore*, & proscriben-

do inutiliter aut intemperanter vario. Sicut autem hoc *consilium*, à ratione *Physico-Medica* pendet, & modo *potestatem* illud proponendi, *Medicam* merito nominavimus: ita *Medicam* hanc *potestatem*, communissimè irritam reddit & inanem, *civilis* impotentia, dum monitis hujusmodi, tam sani quàm ægri, parum auscultant atque obsequuntur.

§. XVII.

In feriis autem morbis, aliquanto quidem facilius est, sed sæpe etiam supervacuum, prolixè *potestatem* hanc qualemcunque exercere; postquam ibi sponte à *cibis* abhorrent ægri: ita, ut ibi potius, & intellectus rectè informatus, & *potestas* prudenter exercenda, esse debeat, ne *ars* aliquid imperet, quod *omisisse* esset melius. Ubi certe vero artis intellectu atque usu, sæpissime opus est, ad *abstinendum* à *potestate*, civili potius quam Medica; nempe non temere injungendum ægris, ut *edant*: nedum intempestivis *remediis* quasi contendendum, ut in *mediis morbis*, *appetitus* ægro per *artem* restituatur. Unde prudenter æstimanda & applicanda admonitio Hippocratica, ut pluribus locis, ita 2. *Aphor.* 10. commendata: *Impura corpora, quò magis nutriveris, eò magis læseris.*

Th. XVIII.

Par ratio est *Medicæ potestatis*, circa *Motum* & *quietem*, *Somnum* & *vigilias*, atque *Animi pathemata*. Ubi, licet ad intellectum utique Medici pertineat, rectè perspectum habere, tam in *genere*, quid harum rerum prodesse aut obesse possit œconomix corporis, & *proportionibus* æris atque assumptorum; quam in *specie*, imò per *individua*, quid *præsentibus* constitutionibus conducat aut noceat. Interim præponderat hic usitatissime iterum prærogativa potestatis *civilis*, seu potius *impotentia*, præ *Medicæ*; ut *consulere* quidem, *præcipere*, atque *præscribere* hic possit
Medi-

Medicus: sed ut in *effectum* consilia sua deducantur, neque studio neque arte perficere valeat.

Th. XIX.

Porro, circa *Actiones vitales intermedias*, & magis magisque *specialiores*, digna certe est exquisitior consideratio Medica, quid circa hæc etiam negotia reverà sit in *potestate artis*, & quo *ordine*, atque *gradu*? ubi merito, primo loco, examinanda venit *Circulatio sanguinis*. Quod hoc ipsa, sit *ordine* primum, & *potestate* generalius, *instrumentum* vitalitatis, è *Physicâ* oeconomiae corporis scientia, extra omne dubium est positum. Imo, quod *dignitatem* attinet, non minus certum est, quod tanta illa sit, ut, si hæc actio lædatur, omnes reliquæ *specialiores* vitales actiones, necessario proportionatè deficient, aut depraventur. Interim, ut in statu vitali *sano*, hac ratione omnino res sese habet; ita in jam malè affecto eodem, & ubi consilio *efficaci*, atque auxilio est opus, palam etiam est, quod absolutè respiciendum sit ad *potestatem* artis, quam illa in hunc *actum circulationis* sanguinis reverà habeat. Si enim vel maxime perspectum, verum, atque certum, hoc habeatur, quod circulatio sanguinis, sit latissime patens *instrumentum* vitalitatis; si tamen *Ars* non habeat *sufficientem*, & pro varia necessitate magis particulari, satis *multiplicem*, *directam*, & suo *arbitrio regendam*, *dirigendam*, & in necessarium effectum deducendam, *potestatem*, in hunc circulationis sanguinis *actum*: quid manifestius tunc est, quam quod tota consideratio atque scientia *circulationis* sanguinis, quamvis *Physice*, *historice* & *ætiologice*, veritatem necessitatis ejus atque utilitatis, rectissime intelligere contingat: tamen tota hæc *scientia*, *Medicæ arti* propterea non sufficiat, quia, cum hæc *ars*, in hunc *actum* circulationis sanguinis ipsum, nullum jus atque *potestatem* habeat, otiosa ita necessario atque irrita, *ipsi, ut aris*, tota sit hæc scientia.

Th. XX.

Jam verò, quod res omninò ita se habeat, quod, inquam, *ars*, pro *salutari* effectù, in *circulum sanguinis*, univèrsim, & *quà talem*, nullum habeat jus, aut *potestatem*, *ordinatam*, & pro *arbitrio* suo *ordinandam*, instruendam atque *regendam*, si quis nesciat, illi non è præsente nostra tractatione, sed ex ipsis veræ Medicæ doctrinæ *fundamentis*, consulendum est. Quæ nos interim merito jam ut *nota* supponentes, pro vera atque firma potius thesi supponimus atque declaramus, quod hoc ita se habeat, nempe *Medica ars*, in ipsum sanguinis circulum, *directè*, & *quà talem*, nullum utique jus aut *potestatem* habeat. Adeoque consequenter circuli sanguinis scientia, ad *Medicam* artem, nullum amplum atque late patentem habeat usum; imo ne quidem specialem usum; cum ab circulatione S., *quà tali*, i. e. quatenus *generalis* est actus, *speciales* usus, *directè*, & simplici progressu, non possint expectari: sed ad *specificationem* talem, ultiores novæ circumstantiæ ac *determinationes*, necessario observandæ veniant, quarum intuitu illa, non jam amplius est illud, quod in *generali* suo ambitu existit, &c. Si cui vero circà hos respectus adhuc inhærent dubia, illa non è *Medica* cathedra, sed à longe inferioribus sedilibus, enucleationem petere debebunt, dum certe etiam ita constituta dubia, vix satis benigne à *Philosophica cathedra* audiuntur.

Th. XXI.

Porro, quod *concoctionem*, *digestionem*, *distributionem*, *assimilationem* alimentorum, concernit, est certe in has etiam universas res, nulla alia, quam valde *remota*, arti *potestas*. *Positivè*, magis certo & simpliciter, è *coquinaria*, aut si speciosius nomen placet *Physico Chymica* scientia & arte, petenda: quomodo nempe alimenta, imprimis ut *varia*, *condimentis* ita disponenda veniant, ut *concoctioni*, & bonæ temperiei, inde efformandi chyli, rectè obsequan-

quantur. Ita enim v. gr. *oleracea*, *sulphureâ* tenuiore substantia minus instructa, & ad *mucidum* atque vappidum succum præbendum, solum disposita, *aromaticis*, pro feliciore *fermentatione*, & impetranda sulphureâ illa *accessione*, instruere, *Physica* & *Chymia* svadebit: rustici defectum hunc simpliciore atque parabiliore artificio explent, dum *pingues*, *suillas*, *vervecinas*, carnes, iisdem sociant, & *sale* muciditatem in ordinem redigere, contenti sunt, imò acriorem spissioris cerevisiæ potum, aut haustum *spiritus ardentis*, tanquam triarios, in subsidia adducunt: aut à posteriori, crudiores illas *mucositates*, laboriosis corporis motibus subigunt, &c.

Th. XXII.

Privativè verò, illam *poteſtatem* iterum hic habet ars, ut à talium rerum usu *interdicat*, & noxas inde expectandas præſagiat. Quod ipsum tamen quàm remotè iterum ad universam *poteſtatem*, faciat aut sufficiat, nullo iterum impedito aut ingenioso computo indiget, ut vera inde ratio conficiatur: unde hic iterum memori mente comprehendendum venit, quod etiam hac in parte, exigua, restricta, & insuper *remota*, artis sit *poteſtas*.

Th. XXIII.

Promovemus pedem ad *materias*, à *naturali* atque *nonnaturali* indole jam declinantes, imò ab illa *alienas*, ad *præternaturalem* usque indolem. Antesignanum in hostili hoc agmine intuemur sanguinis *quantitatem*, necessariam *proportionem* transgressam: Quæ, quàm varios, magis magisque *præternaturales*, imò magis magisque periculosos, effectus post se trahere possit, cum alias passim in Medicorum scholis commemoratur, tum adhuc uberius, pluribus occasionibus, declaratum, imò demonstratum est, à Dn. D. Præside. In hanc ipsam autem, tot pessimorum effectuum *radicem*, non nisi *duplicem poteſtatem* habet Ars Medica. Unam pariter satis *remotam* atque indi-

rectam: alteram autem *propiorē* omninò, imo planè *proximam*, ut omninò *directam*. De posteriore vero hęc, cum mox peculiari, magis congruo, loco, agendi eventura sit occasio, fatis nobis erit præsente loco, de alterâ solum verba facere. Recidit autem illa similiter magis ad *consilium*, per *civiles* difficultates, propemodum irriti eventus; nempe svasum *abstinentiæ* à copiosiore usu nutrimentorum: Aut injunctionem laboriosiorum corporis *motuum*. Uti vero ipsi etiam priori *consilio*, difficulter obsequi in se recipiunt mortales, ita tantò minus hoc facere amant circa secundum: dum hoc ipsum, sub diætâ minùs temperante aut restricta, necessitatem, perpetuæ *continuationis* involvit: cui ejusmodi homines, qui Medicorum auxilia quærere possunt atque solent, vix unquam animum submittunt, nempe in lautioribus, aut sanè commodioribus, rebus constituti, quibus intolerabile videtur, *laboribus* sese mancipare, & imprimis ex indole præsentis necessitatis, *continuis*. Accedit altera difficultas, quod hujusmodi homines communissimè *consilium* tale, quod inviti exequuntur, etiam perperam sequantur; *præcipitibus* potius, quam *diuturnis* moderatis, corporis *motibus*, pericula potius sanitati suæ, quam commoda atque subsidia speranda, contrahendo. *Remediis* autem aliis, nempe *pharmaceuticis*, meritò fidem denegamus, pro *quantitate* sanguinis magis *directè* imminuenda. Sicut enim, quæ *Paracelsus* narrat, de hujusmodi efficacia partim à *chamædri*, partim ab *helleboro*, expectanda; in priore, si de vulgò nota herba loquatur, experientiæ incognitum est; in posteriore vero, à ratione alienum: dum hęc remedia tantum sanguinis absuntura esse pollicetur, quanto *pondere* ipsa assumpta fuerint: quod cum *helleboro* suscipere, furiosum esset: *successivis* autem tolerabilibus dosibus, ob promptam reparationem parvæ quantitatis, inutile foret: propterea narrationes tales suis fatis relinquimus.

Pro *qualitatibus* autem morbidis in corpore, *corrigendis*, cum primo loco ingens incumbat difficultas præjudicialis, qualesnam in rei veritate agnoscendæ veniant *qualitates* tales *morbidae*? Referimus nos insuper, secundo loco, ad ea, quæ jam ante, de *impotentia* & *incertitudine potestatis* Medicæ, circa veram atque *nudam alterationem*, pro sententia nostra declaravimus & professi sumus, neque quod de illa detrahamus, usquam invenimus.

Th. XXV.

Eadem etiam est sententia nostra, circâ (paucissimis exceptis, reliquas) omnes *qualitates* simpliciter *præternaturales*, aliunde in corpus insinuatæ: quod nempe in has *directè*, aut ad minimum *nudè*, *corrigendas*, minima certè, cui fidere & acquiescere liceat, imo nulla potius, *artis* sit *energia*. Ubi, ut aliquam utique rationem reddamus, hic iterum repetitæ in parenthesi, exceptionis nostræ, de *paucis casibus*, ubi *directa* alteratio locum habere, & nuda negotium absolvere possit; allegamus hoc nomine 1.) veram *acido-causticam* acrimoniam *cholericam*, in ventriculo, per idonea *absorbentia* domandam: 2.) cruditates *viscidas*, vel *aromatibus*, & vulgi experimento, ipso *pipere* aut *zingibere*, & similibus, *sinapi*, *aro* &c. aliquando corrigendas: vel *salinis* incidentibus obtemperantes. 3.) Cruditates *rosivas* aliquas, in *ulceribus*; *absorbentibus*, *spodio*, *tutie*, tantisper obsequentes, quin *elotionibus*, aliquando etiam *manualibus* extersionibus, licet per *Evacuationis* modum, tollendas. 4.) Innominatæ crasseos *venena* aliqua; *scorpii*, *serpentum*, *canis rabidi*: quæ experimentis quibusdam, quantum probabilius est magis per modum *alterationis*, quam *evacuationis*, sese submitunt. Et si quid forte adhuc aliud in hunc censum referri potest.

Th. XXVI.

Tandem autem pervenimus ad *veram*, *conspicuam*,

& quantum in rebus humanis potest, *liberiores, artis potestatem*; rationi æque ac experientiæ innitentem: adeoque verè *artificiosam*, nempe *cum recta ratione efficacem*. Percurramus in præcedentibus, tum *naturales* res, tum *nonnaturales*: interim in posteriorum harum censu, silentio aliquid adhuc præterivimus, nempe EXCRETIONES. Hæ, quid in tota vita humana possint, cum in vulgaribus scholarum Medicarum dogmatibus, parum, pro rei dignitate, enucleatum aut demonstratum dari consueverit, supplere hunc defectum jam pridem allaboravit D. Præses, & sperat, verum habitum *causalem* intelligere, peritis satis demonstratum dedisse, quod non solum ipsa *Vita*, quatenus de *corpore* prædicatur, *formaliter*, sit, summè *corruptibilis mixtionis*, imo totius *materialis* constitutionis corporis, indefinens *conservatio*, & præoccupatio, ne potentia illa in actum & effectum (ante omnia simplicissimum & directum) deducatur: sed etiam verum *ultimum* & *formale* instrumentum atque medium, quo hic effectus absolvitur, nullum aliud sit, quam perpetua tempestitiva *Excretio*, i. e. *remotio*, & tandem plena *emotio* extrà totum corpus, omnium rerum *alienarum*, ab hujus debita propria substantia, materiali, (quæ vel quantitate, vel qualitate, sive simpliciter ab hac alienæ, sive prorsus ad nocendum habiles & paratæ, vel in ipso corpore subnascuntur, vel extrinsecus in illud insinuantur.) Ita enim denique ablatis omnibus *alienis*, corpus in sua debita *homogeneitate* asseruari, atque sincerum præstari, simplici bona consequentia satis elucescit. Quicquid autem corpori ipsi, ab omni corruptionis efficacia non simpliciter eximendum sensim decedit, illud altero actu, *restorationis* atque reparationis, illi utique semper restituitur: in quem tamen actum, tam *mixtionis*, quam *structuræ*, omnem *directam potestatem* arti in præcedentibus jure meritoque denegavimus.

Quemadmodum autem *Vita & Nutritio*, distincti utique sunt actus; (sub communi quasi genere *Vegetationis* vulgo comprehendendi soliti;) in quorum posteriorem, nutritoriam inquam *reparationem*, omnem eximiam, & ante omnia *directam potestatem*, arti constanter denegamus: ita, ex adverso, in *strictè* dictum illum *Vitalem* actum, qui proprie atque proxime *Excretionem* absolvitur, quantamcunque maximam habet, *potestatem* arti adscribimus, asserimus, atque vindicamus. Hæc, inquam, est *unica, præcipua, latissimè patens*, quantum usquam fieri licet, *directa*, & *arbitrio* atque *regimini* artificis quamplurimum concessa, *Artis potestas & energia*, ut *Excretiones*, *adjuvet*, *promoveat*, *facilitet*, imo *provocet* atque *excitet*; aut *temperet*, *moderetur* *regat*, imo *compefcat*: prout *materiarum*, & *viarum*, aptitudini, & *materiarum* ad *nocendum* promittitudini, quam maxime convenire, vera *rationalis* harum conditionum agnitio atque cognitio, suadet aut permittit, & *insitæ spontaneæ Energiae motoriae* concursus, conspi- rat aut obsequitur.

Th. XXVIII.

Harum *Excretionum* ipsum in actum, nempe *commotiones* ad *exitum* contendentes, habet *Ars potestatem*; ut autem *Medica* illa sit, nempe ad *salutarem* effectum recte collineans, *ratione sanâ* ante omnia, circa totum hoc negotium rectè instructus atque institutus debet esse *Medicus*; ut nec *intempestivè*, *inordinate*, *præpostere*, neque *nimum*, aut *insufficienter* atque nimis *parum*, *Motus* provocet: neque minus conveniente, aut plane alieno, *loco*: neque vero etiam *spontè* ipsius naturæ susceptos *Excretorios* aliquos *motus*, *male intellectos* atque æstimatos, *abusu potestatis* suæ, imprudenter *cohibeat* atque *reprimat*: Dum nimirum statui corporis jam *extraordinario*, ab ipsa *Natura* sua *sponte* adhibitos, exquisitè sano statui utique *inu-*

statos motus ad *excretionem* pertinentes, sine consideratione *extraordinariarum* materiarum, quibus tales *motus* adhibentur; mox illos ipsos simpliciter *in se* ipsis, pro *præternaturalibus* interpretatur, adeoque *resistendum* ipsis, perperam judicat aut arbitratur.

Th. XXIX.

Hanc in hos actus *potestatem*, porrò, rectè *regere* & *instruere* debet Medicus, secundum habitum *materiarum*, quæ *moveri* debent. Sicut enim ipsi utique simplicissimæ *rationi mechanicæ* adversatur, *actionem* provocare, ubi *patiens* non sit idoneum, *motum* provocare, ubi *subiectum* non sit *mobile*: ita præjudicatum utique atque præcognitum & perspectum habere debet *ars*, *an*, & *quomodo* etiam, & *quousque*, habilis, disposita, atque *preparata*, sit *materia*, ut *salutari emotioni* rectè obsequi, & eadem ita expugnari possit. Cum enim ita *libera* passim, ad provocandos ipsos *actus*, nempe *motus excretorios*, *artis* sit *potestas*, ut quocunque *tempore* vult, & insuper *quantum* vult, *fortius* certè aut *mitius*, incitare possit ipsos *motus*: *frivolum* certè, *temerarium*, & *salutari fini* contrarium foret, si sine bene perpensa *proportione*, inter *materiæ dispositionem* ad *motus*, *tempore*, *gradu*, *loco*, alienius, *motus* ipsos concitaret.

Th. XXX.

Par ratio est *meatuum* & *viarum*, & *proportionis* harum tam *Physico-Mechanicæ*, ad *facilem*; quam *moraliter* seu *finaliter*, ad *salutarem*, *materiarum* per illas, *motum*, *progressum*, atque *exitum*. Ubi iterum passim habet *ars*, in quo ante omnia *rectam rationem* exerceat, antequam ad *effectum* ipsum contendat. Qua *quantitate* *motus* ad *capacitatem* *viarum* instruendus veniat; *Quomodo* *qualitas* *materiæ*, *viarum* conditionibus respondeat: *Quò* illam propius ad *exitum* perducere liceat; ne longius *dimissa*, per majus *spatium*, plus *incommodi*, *periculi*, aut
plane

plane damni, exerceat: A quibus viis magis arcenda atque *removenda*, ad quas autem convenientiores, *dirigenda* aut *impellenda* veniat materia.

Th. XXXI.

Ibi, quantum ad secundum attinet, nempe *materiae* justam conditionem, inveniet quod *dijudicet* atque *diquir*at, quonam casu *materiae alterationem*, inordine ad *Excretionem* conciliare, in *artis potestate* positum sit? Inveniet ibi quid intercedat differentiae, inter *alterationem*, quam *potestati artis* de negavimus; *simplicem*, *directam*, *nudam* atque *absolutam*, sine respectu ad necessariam *evacuationem* seu *excretionem*; & inter talem, quae omnimodo ad *excretionem* sese referat, illi *materias* aptet atque *praedisponat*, ac ad illas *praeparet*. Quo loco non silentio involvenda, sed laudanda potius venit, *Veterum* prudentia; qui (nisi quod posteriores, passim indiscreto usu bonam intentionem antecessorum corruerunt,) plurimum *preparatorias*, ad *Evacuationis* felicem successum, *alterationes* commendaverunt: neque minus prolixi fuerunt in laudanda *coctione* humorum; & commendanda *expectatione* hujus, adeoque innuendo *tempore*, pro felicibus *excretionum* successibus, impetrandis atque perpetrandis.

Th. XXXII.

Ubi nempe iterum *ars*, *rectam rationem*, ante *efficacem* suam *potestatem*, bene exercere debet, in *Phyfico-Mechanica* contemplatione atque aestimatione *apparatus Excretorii*. Ubi facile comprehendet, *tria* requiri, ad felicem successum & effectum plerarumque *excretionum*; nempe *primo*, *secessionem* *materiae*, à qualicunque nexu & cohæsione cum aliis, retinendis; *secundò*, *secretionem* *materiae* talis à reliquis, ut operæ pretium sit, *excretionem* idonea aliqua quantitate instituendi: & tunc demum *tertiò*, *actum* ipsum *excretionis*. Quae omnes considerationes, commendabunt *rectae rationi*, contemplationem atque

que æstimationem *Temporis*; ut *tempestivè* atque *maturè*, non *præpropere*, aut *præpostere*, *potestatem* illam suam, *Emotiones* provocandi, exercere, imo administrare, recorderetur.

Th. XXXIII.

Quemadmodum autem, intuitu veluti magis *directæ* suæ *potestatis*; quæ quam maxime in ipsos *motus* redundat atque valet, *Tempus* justum dijudicare atque observare Medicus ita debet; sic incumbit eidem etiam, intuitu duarum reliquarum circumstantiarum, jam ante commendatas *potestates* suas, secundum rei veritatem, & firmam experientiam, in numero habere. An videlicet, & *quousque*, tam *materiam* ad faciliorem *secessionem* perducere possit, quam *vias*, ad expeditam *secretionem* simul disponere: Et *ordinis* hujus optimè meminisse, quo unumquodque horum in effectum deducere conveniat; ne hic iterum *præposteræ* methodo indulgendo, nihil boni effectus aut eventus inde sperare liceat. Hic imprimis quæstio verè decidenda, imò decisa habenda, ipsi occurret, de *vera potestate* artis, circà, & *per medicamenta*. De qua quidem in genere, ante omnia concelebranda venit *clementia* atque bonitas *Divina*, quæ utique sic instruxit varias rerum creaturarum species, ut desideratissima hac efficaciam polleant, imprimis materias varias, tam ad *secessionem*, quam *secretionem*, disponendi: & cum dispositio *viarum*, (ad optatum successum *secretionum*,) sæpe etiam ipsa involvat *matariarum* illas obsidentium, resolutionem & absterfionem; inveniuntur in hoc ipso benefico penu, remedia huic etiam scopo satisfaciencia. Interim facile est recordari, quod hic omnibus utique modis requiratur, *vera certitudo*; non aliunde constantius petenda, quam ab ipsa hac *veraci experientia*, ut omninò *Ars* Divinis his bonis atque donis rectè potiatur, & laborans ægri proximi corpus, iisdem fruatur.

Th.

Ubi nempe nemo bonus vitio nobis vertet, si, quantâ usquam fieri potest animi contentione, dehortemur, à *negligentia, credulitate*, nihil fundata, *fiducia, confidentia*, imò *temeritate*, circa ipsa hæc talia *remedia*, cognoscenda, imò pernoscenda, & usibus suis, *veris & constantibus*, adhibenda. Neque enim ullus est justè dubitandi locus, quin omnes prudentes arbitri, consensuri nobiscum sint, quod omnino conscientiæ hic intersit, ne illa *falso* quibuscunque rebus tribuat aut adscribat, quod iisdem à Deo, tanquam unico vero Benedicto harum rerum artifice, *concessum* ac tributum non est. Ejusdem autem conscientiæ objectum pariter esse intelligetur, *salutem* corporalem proximi, talibus Divinis beneficiis indigentem, *inconsiderantiâ* tali, *inscitiâ*, atque *imperitiâ*, non fallere, destituere, frustrari: ut taceamus, de re utique odiosa, nempe *mercedis* insuper constitutione; quæ ut in rebus bene & convenienter gestis, iusta omnino, dummodo æqua, haberi meretur: ita in male administratis rebus, non potest non iniquissima haberi. Optandum nempe, dummodo vota rem expedire possent, calidis utique esset votis, ut hæc res tandem aliquando altius ad animum revocaretur, & coeptum illud, certè vix pro dignitate collaudandum, honestissimi nostræ ætatis viri, *B. Ludovici*, studiosius prosequendo exasciaretur; nempe ut è tam proluxa, & confusione quam maxime exposita, farragine, vel plane nullâ fide hinc inde decantari solita, vel minus efficaciam, vel singulariorem solum aliquo effectu conspicua, *remedia*, operose secernerentur à talibus, quæ *certiore, latiore, & præsentiore*, efficaciam verè instructa sunt. Ubi imprimis, nequaquam contemnenda ducimus talia, quæ modo dictam illam efficaciam, numero magis *singularem*, interim tamen *veram* atque *fidam*, possident. Ubi nempe iterum illud solum bene distinctè definiendum veniret, quæ-

nam medicamenta, *specialius* magis, atque *proprius*, quæ-
 „nam vero altera, *generalius*, & *remotius*, eidem de cæte-
 „ro ultimo effectui, paria inveniantur: adeoque etiam a-
 „lia quidem *præsentius*, alia *segniùs* atque *tardius*, spera-
 „tum effectum exhibeant: quæ nempe res pro diversa in-
 „dole affectuum, passim non exiguam utilitatem involvit.
 Dispar est, sed tamen non minus digna, etiam illa distin-
 ctio, (si modo recte in effectum deduceretur,) quænam
 remedia *pluribus*, *differentibus*, usibus inserviant; & im-
 primis secundum quas sui *partes*; secundum quales eo-
 rundem *preparationes*, quo *tempore* collectionis, ad mini-
 mum intuitu *maturitatis* suæ. Quo loco breviter notan-
 da venit, ultimo imprimis huic respectui superstructa com-
 parens, opera illa *Carrichter*i, in minore suo herbario; ubi
diversos, aut ad minimum *distinctos* effectus, plantis attri-
 buit, prout illæ collectæ sint, *Sole* in uno, altero, aut ter-
 tio &c: *Zodiaci* signo existente: cujus rei plausibilior ra-
 tio, & verisimilitudo, in eo maximè posita foret, pro ut
 herbæ talis substantia, secundum diversi *incrementi*, aut
maturitatis, aut *partium* sui diversarum, proventus, aliter
 atque aliter disponderetur.

Th. XXXV,

Quamvis autem optime intelligamus, quod hoc in-
 stitutum utique minime unius hominis laborem, assiduita-
 tem, iudicium, & ante omnia multiplicis *Experientiæ* op-
 portunitatem, requirat; adeoque nimio utique sit facilius
 dictu atque svasu, quam factu. Tamen nihilo etiam mi-
 nus, nobiscum quilibet prudens harum rerum arbiter
 consentiet, quod, nisi utiq; initiū talium rerum fiat, & succes-
 sibus atque progresibus iisdem consulatur, etiam nunquam
 qualiscunque earundem fructus, nedum plenus & exopta-
 tissimus finis, optandus, nedum sperandus veniat. Unde
 immensum quantum utique felicius foret multorum oti-
 um improbantium Medicorum diligentia, si in has potius
 res studia sua & labores conjungerent & conferrent, quam
 ut

ut sparsis curiositatibus Publico commemorandis operam suam impenderent. Quamvis enim etiam horum nihil aspernemur aut improbemus; certè tamen comparatio iusta, non solum magis *utilium*, sed plane *necessariorum* talium rerum, quolibet intuitu nimio digniorem ostendit talem laborem, quam quemlibet alium, & longe ab otio alieniorem, quam tales res, quæ vel per otium natæ, vel ad solum otium fallendum aptæ, sunt.

Th. XXXVI.

Facile vero utique etiam recordamur, & sanè optimè agnoscimus, quod adhuc longe profundior subfit implicatio, & difficilior impedimentum, quod postulatum hoc nostrum intricatissimis nexibus implicet, & conatus quantælibet diligentiae irritos reddere valeat, imo non raro soleat. Cum enim ad veram *Experientiam* efficaciarum remedium, etiam vera cognitio *indolis morborum*, & solidæ *Methodi* curationum, inevitabiliter requirantur; utraque hæc autem, ultimis his temporibus, infelici illâ, non tam libertate, quam licentiâ opinandi, & quicquid in phantasiâ venit, statuendi, in portentosa dissidia commentorum excreverit, adeoque loco artificiosæ, *cum recta ratione efficacis, experientie*, cœca tentamina Empirica prævalescant: Facile utique agnoscimus, quod præmaturatione propemodum ordine, hæc nostra sint vota, nedum postulata: Sed commendanda sine dubio patienter Deo sunt hæc omnia, ut feliciora his necessitatibus tempora, & seria atque habilia ingenia, largiatur.

Th. XXXVII.

Poterit interim certissimè etiam ipsum præsentis nostri thematis negotium, è veris suis fundamentis, & ante omnia solida *Theoria Vitæ*, quatenus de *corpore* dicitur, tenebras hic obversantes illustrare; dum imprimis è recte

considerata ipsius *Naturæ Therapia spontanea*, quâ nempe Vita hæc corpori tanquam *instrumentaliter* præstatur; non solum vera *differentia*, sed etiam *analogia*, & *subordinatio*, (quoad vel *utilis*, vel plane *necessaria* est,) *potestatis naturæ*, & *potestatis artis*, ita ad justam considerationem reduci, ut tanto certius hinc evitari queat scandalum illud, omnem bonam spem evertens, imaginariæ seu *Æquivocæ Curationis*; & inde nascentis vanæ opinionis, de vera *efficacia remediorum*, quin ipsâ verâ *necessitate* concursus *artis*, & exercendæ ejus *potestatis*: ut inde tandem vera utilitas atque efficacia salutaris, propius & intelligi possit, & demonstrari.

Th. XXXVIII.

Interim, rebus ita non magis *curiosè*, quam ut omni modo merentur, *studiosè*, pensatis, non poterit non dilucescere, non solum *utilitas* eximia, sed omnino utique absolute *necessitas*, justæ atque debitæ considerationis rei hujus, themate nostro tractatæ, nempe *Veræ Potestatis Artis*, quatenus illa unice scitu est necessaria. Commonstrabit enim hoc, studioso artis cultori atque sectatori, ante omnia, *inutilitatem* multiplicium male fundatarum opinionum *Theoreticarum*, circa fictitium illum magnum numerum *specialissimarum materialium* causarum morbidarum, *specialissimam artis* opem, vel postulantium, vel admittentium: Unde statim etiam exspirabit opinio illa, tam de *necessitate*, quam de *veritate*, tot differentium *Alterantium*, tam diversis ejusmodi *materiis* destinandorum. E contrario verò, comparebit nimis planior, & tam Theoriæ luculentior, quam *Praxi* expeditior *Methodus*, qualescunque tandem tales *materias*, potius *Evacuationi* simplicius destinandi, & ad illam quocunque meliore modo *disponendi*. Ubi nempe simul *anima illa* totius *potestatis practicæ Medicæ* dilucescit, *tempestivitas* atque *opportunitas* agendi.

Th.

Sicut enim merito iterum iterumque, "tanquam argumentum invictum, allegamus atque inculcamus, animadversionem illam *Practicam*, quod à *præcipuorum* æquè, atque *plurimorum*, talium artificiorum usu, *assiduo* propterea, & minime in debitas *opportunas subordinationes* distributo, *morbi*, neque *certius*, neque *citius*, neque cum *tolerabilioribus* circumstantiis, ad finem suum decurrant, & pertingant, quam ubi, in *pari specie*, illa planè non usurpata fuerunt: Ita non potest certè conclusio alia hinc elici & formari, nisi, quod *remedia* talia, usum & effectum, qui illis assignatur, nequaquam præbere possint: imo etiam ipsæ *causæ*, quibus hæc destinantur, tum non subesse debeant; si utique de reliquo probari possit, quod talia remedia, talibus, (quales supponuntur pro *causis* morborum) rebus immutandis, idoneam efficaciam habeant. Quæ certe res plane dignissima est, quam justè atque sagaci considerationi iterum iterumque commendemus.

Th. XL.

Neque vero illud etiam silentio præterire integrum ducimus, quod multæ tales artificiorum species, quæ *correctionibus* illis putatitiis, sine observato *ordine* & *opportunitate* ad *excretiones*, destinari solent, admodum frequenter ita *heteroclitæ* sint efficaciæ, hoc *respectu*, quem unicè servare decuerat, ut potius, & quidem *certius*, & longe *promptius*, ipsos *Motus* corporis alterent, quam *materias*. Quæ res profecto graviter premit speculationes illas, quæ de *Physico-Mechanica* agendi ratione, *materia-rum* talium, in *materiales* constitutiones humorum, confinguntur. Cum enim *Physico-Chymico-Mechanica* agendi ratio, absolute involvat proportionem *mensuræ* & *ponderis*, pro *materiali* illa supposita reactione, inter *materias* morbidas & medicas: interim passim manifestum sit, quod

talia medicamenta, quibus insignes effectus tales *alterativi* assignantur, & imprimis quidem in ipsis jam mediis *vigentibus* morbis, non possint nisi valde *parcè* ægris exhiberi, quin potius sensibilis *dysphoria*, quam sperata euphoria, sese exserat: & imprimis magis *motuum*, quam aliâ sensibili *alteratione*, sese exlerens: quid poterat inde planius colligi, quam quod *materiæ* tales, ad effectus illos, quibus pro remediis destinantur, vel prorsus impares sint, vel ad minimum inutiles & *intutæ*; postquam majores turbas in bonos corporis *motus vitales* introducunt, & quidem etiam *parvâ* sui quantitate, quam in *materias* introducere sentiuntur, quibus imprimis non nisi *maiore* quantitate applicari, si etiam vera effet hypothesis, deberent.

Th. XLI.

Tanto magis autem inservire poterit hæc consideratio nostræ tractationis, nempe *Veræ Potestatis Artis*, ad avertendum animum, ab alienioribus Theoriis; nempe in *multiplici* contemplatione *materiarum*, magis absolute & *in se*, quam in *ordine ad secretiones & excretiones*, considerandarum, occupatis. Tanto magis autem à superfluo, & nimis operoso, labore, circa *texturam atque structuram solidarum*, corporis partium; etiam quatenus ad *secretiones & excretiones*, sive remotè, sive propinquiùs, faciunt. Licet enim ad aliqualem *Physico-Mechanicam* speculationem harum rerum, hoc profit, tamen præter *generalior* conceptum, nihil infert: præterea vero *Medicam* artem nihil instruit aut illustrat, cum nihil quod in *artis potestate* sit, ad quod hæc dirigi possit, inferat, adeoque *Medicæ, quâ tali*, scientiæ aut contemplationi, nullo jure immiscendum veniat, quin facile minus gnara harum diversitatum ingenia, confundere potius valeat, quam instruere, aut erudire. Quod quidem, nisi insigni commoditate otii, & insuper optima discretionem harum rerum, potitis, non temere susadendum venit, cum nihil familiarius sit,

fit,

sit, quam ut in talibus rebus operam suam infuentes, verè & realiter *necessarias* reliquas contemplationes, præ his omittant atque amittant, adeoque quod est in proverbio, *Nubem pro Junone* amplectantur.

Th. XLII.

Alterum autem, longe maximum, emolumentum non solum, sed & compendium, è hujus rei justa perceptione hauriet *Medicus*, quando intelliget, quod *artis potestas* sublevetur fida *societate spontaneæ Energiae* & activitatis Naturæ. Adeo, ut in hoc genere *Therapia*, laudem prudentis atque fidelis *sociæ* operæ promereri atque reportare possit: si verò suas partes *natura* satis tueri non continuet, peritâ *Prognosi*, imprimis tempestivâ, declinare & præoccupare possit invidiam, & infamiam non rectè intellectæ aut administratæ artis. Cui vix habet, quod utiliter opponat, si temere omnia quasi sui *juris* atque suæ *potestatis* facere, & sibi arrogare, ausus fuerit. Quandoquidem ita, si deinde male negotium exeat, cui imputare poterit justa atque sana consequentia hujusmodi eventus, quam simpliciter suæ *artis* defectui? Et quidem *personali* potius, quam *reali*, quando hujusmodi morbos nulla absoluta *necessitate* malum talem & funestum effectum post se trahere, pluribus exemplis elucescit.

Th. XLIII.

Inveniet autem certè quisquis Medicam artem discendam atque faciendam sibi proposuit atque sumsit, in hoc negotio ejusmodi subjectum, in quo intellectum suum, scientiam atque prudentiam, primo optime exercere, eo ipso tamen magis magisque impetrato habitu, etiam ostendere possit. Quandoquidem vera dijudicatio *materiarum* nempe per *veras* morborum *species*, non imaginarias, aut fictas symptomaticas, *accidentales* circumstantias, aut *individuales*, imprimis *morales patheticas*, *impatientes* &c. variationes: Vera discretio & velut inven-

ventio *viarum* & *secretionum* atque *excretionum*, quibus tales materiae, & hæc *reciproce* illis, quadrant: vera comprehensio *methodi*, quibus *successibus*, quibus *temporis* veluti mensuris, quibus *opportunitatibus*, tam separatio & *secessio*, quam actualis *sequestratio*, & denique ipsa *expulsio* & plenaria exclusio, absolvi possint: imo, an hæc talia ita simplicius, nudis *motuum* provocationibus, *gubernationibus*, atque *directionibus*, absolvi possint; an vero potius opus sit præmittendis *materiarum prædispositionibus præparatoriis*: sive *spontaneis*, adeoque *expectandis*, sive verè artificiosè *præstandis*, aut ad minimum *juvandis* atque maturandis. Quæ, inquam, omnia atque singula, facile, sed & affatim, suppeditabunt Medico, in quo iudicium suum exerceat, & ingenium acuat.

Th. XLIV.

Ubi continere nos non possumus, quin circa *potestatem artis* tanto melius ponderandam, *Problema* hoc Medico commendemus; „Si in febre aliqua continua, nempe in præsentē aliquo individuo, iustis diebus, signa coctionis non præcedant, sed cruditatis potius constantis indicia manent, an arte aliquâ, & quânam, efficere liceat, ut coctio sic dicta (nempe secessio atque separatio materiae morbidæ ab intimiore sui nexu cum humoribus) non solum præstari possit per artis energiam, sed etiam ita, ut opportune, tempore quo debebat, & quantum debebat, obsequatur & verè inducatur. Facile quidem hariolamur rifuros esse, non modo plurimos hodiernos Medicos, sed ante omnes præcipuos confusionis circa doctrinam indolis febrium parastatas, & magnificum illud prolaturus, non expectandas esse Medico coctiones, exquisitas periodos, crises: sed debellandum velut in genere & uno ictu esse totum morbum: sed non hariolamur, verum de certa potius scientia scimus, quod nemo quisquam multiplici & considerata *praxi* harum rerum peritus, alti-

altifona talia edicta calculo suo comprobaturus sit: ipsum autem hominum vulgus, jam pridem fastidiat infelicem illam excusationem, quando *febres* tales non solum *sub fastuosis* illis apparatibus, sed sæpe etiam satis evidenter potius *ab* illis ipsis, miserrime procedunt atque exeunt, *ingentis malignitatis* accusationem. Cum nemo propemodum ita fatuus sit, quin intelligat, (quod in scholis vocant, *principium hic peti*, nempe) hoc ipsum potius esse, quod Medicus tanta cum confidentia sibi arrogaverat, nempe *noxium* illud *edomandum*, & in ordinem redigendum, si usquam *salutaris* morbi eventus sperandus veniat, ne dum expectandus. Unde profecto ipsa verâ æstimatione *potestatis* artis, etiam ex adverso, invenietur *impotentia* ejusdem, & prudenter ad animum revocanda veniet: quid, inquam, in *artis potestate*, *non*, aut *parum* certè, positum existat; adeoque judiciofa observatione agnoscendum, judicandum atque *prædicendum* veniat, ut etiam vera *artis* (*potestatis*) *scientia*, hinc ostendi & probari possit.

Th. XLV.

Quamvis autem jam supra tetigimus, tam *præposterum* usum, quam plane *adversum*, *efficacis potestatis* artis, evitandum; placet tamen *duo* solum ejus exempla, pro re melius illustranda, producere. Quoties enim hoc non fit, ut simpliciter *vomitorium* in usum trahatur; Id est, vehemens conatus atque *motus excretorius*, quod *potest* ars, *simpliciter* provocetur: ubi interim nondum liquido pateat, si vel maximè præsto sit in ventriculo, *materia* quæ evacuari mereretur, an etiam illa statim in ea sit *dispositione*, ut simpliciter ita extorqueri atque excuti valeat? Cum nulla propemodum materia gravius ventriculum oneret atque malè habeat, quam quæ *lentore* & *tenacitate* insigni pollet atque peccat. Qualem vero ita constitutam, nudo *motu* ventriculi excutere velle, etiam ipsi sanæ rationi refragatur. Dum ex adverso, si ipsi hæc mala dispositio solum adimi possit, vix opus sit tantâ *concitatione*, variis aliis non incommodis

folùm, sed aliquando etiam periculis, idoneâ: Quandoquidem folùm ita rectè *mobilem* redditam, fatis familiariter *sponte* naturæ rejici contingit; five hâc eâdem propinquiore viâ, per *vomitum*: five placidiore *motu*, per *alvum*: Interim cum *mitigatione* omnium reliquarum molestiarum & magis anxiarum symptomaticarum circumstantiarum. Unde certe innumeris vicibus, in *tertianis* febribus, à solo *digestivo* seu *incidente* remedio, *opportuno* tempore exhibito, *spontaneus* vomitus, sine ullo alio stimulo, cum euphoria succedit.

Th. XLVI.

Secundum exemplum *potestatis artis* prudenter exercendæ, occurrit in conatibus similibus excretoriis spontaneis. v. g. in *Cholericis* vomitibus & dejectionibus, quin etiam *acutis*, aut *epidemicis* febribus, ad *diarrhæas* proclivibus, imo ipsa *dysenteria*. In quibus casibus cum positum utique sit in *artis potestate*, *commotiones* tales *cohibere*; fit tamen fatis familiariter, ut ars hæc non exerceatur *medicè*, nempe *salutariter*, adeoque etiam nec ita cedat. Cum enim ibi potius *bilioso-causticam*, aut quamlibet aliam *subtiliorem*, acrimoniam correxisse, & rationi consentaneum, & experientiæ sufficiens, fuisset; *non correctâ* materiâ, neque mitigatis qualibuscunque jam ejus *effectibus*, bono certe in hoc genere *conamini* naturæ, pravis his materiis corpus *exonerandi*, simpliciter contraniti, uti à ratione alienum, ita effectû etiam periculosum, vel ipsa experientia monstrat.

Th. XLVII.

Ubi nempe palàm utique est, quod deficiens confideratio, tam *inclinationis*, quam *dispositionis*, ad *salutarem evacuationem*, totum *salutarem* usum *potestatis artis* ita evertat ac eludat. Imo, est hic insuper etiam cauto opus, circa verum conceptum, de *methodicâ*, tam *naturæ*, quam *subsidiariæ* potestatis artis, administratione atque gubernatione. Quamvis enim omnino verum sit, quod *ultimus* a-

ctus,

ctus, & effectus verè *salutaris*, in his generibus, & similibus casibus, utique fit ipsa *evacuatio* è toto corpore; quia tamen ad hanc absolvendam, etiam iusta *prædispositio* materialium omni modo pertinet: quâ impetratâ aut præstitâ, ulterior *artis* concursus, ad ipsum *actum immediatum*, & effectum *Excretionis* talis, sæpe ne quidem amplius necessarius est, utpote sponte satis successurum: Considerandum propterea prudenter venit, ne posthabitâ corrigendi curâ i. e. materiam ad faciliorem & securiorem exitum *præparandi*, animus *solum* adjiciatur ad ipsam *evacuationem* promovendam aut provocandam. Id quod imprimis in *cholericiis* illis acrimoniis, per tantam longitudinem tenuiorum intestinorum deturbandis, certè non exiguam considerationem meretur. Ubi etiam nequaquam ita crudè, sed profectò cum grano plus quam uno salis, exhibenda venit; declaratio *salubris usus & effectus fluxuum* talium, quâ *taliùm, in febribus, imprimis acutioribus*. Id quod quam maximè ipsa *cholericæ* hujusmodi *diarrhœa* affatim testatum reddit; utpote quæ, licet utique succedens, tamen non solum ingentibus incommodis, sed familiariter etiam periculis, nequaquam caret, & tantum abest, ut *stimulo* aliquo promovenda, imo vel *sibi* simpliciter ita *relinquenda* veniat, ut potius hic, si usquam, *potestatem artis*, in ordine ad feliciorē & securiorē evacuationem, mitigatoriam atque *præparatoriam*, præstoletur, & verum harum rerum intellectum in artifice, omnibus modis requirat.

Th. XLVIII.

Qui nempe, cum utique unicum illud sit, quod *salutarem* artis potestatem, (longè maximam partem, circa *secretiones & excretiones*, & materialium ad hos effectus dirigendas *præparationes*, & harum rerum justum ordinem, determinandum atque instruendum,) occupare debeat: merito itaq; summa cum *scientia* atque *prudentiali* tractanda atque adornanda hæc venit artifice: tanto magis autem abstrahendum, à quibuslibet aliis speculationibus atque intentionibus, à *vera potestate artis*, adeoque administratione atque *gubernatione* artificis, magis magisque alienis. Quæ res, certè nec sine multa
scien-

scientia, nec sine multa *experientia*, solerter *observata* atque *estimata*, ita ut necesse est, comprehendenda, hoc ipso equidem suppeditabit, *cum recta ratione efficacem* artem anhelanti, hujus sectatori, quo tam otium, quam huic analogas alienas curas atque curiositates, excutiat: locupletabit interim eundem, *veræ scientiæ & artis*, nempe *cum recta ratione salutaris efficaciæ*, thesauro: & palàm faciet, quam luculentus etiam revera subsit nexus, inter solidam *scientiam*, verè *Medicarum* causarum atq; rationum, & *ordinatam*, felicem, ejus executionem seu *praxin*. Quæ scilicet *una* est via atq; methodus, ad veram suam *dignitatem*, & felicem finem & *effectum*, arti & artifici asserendum.

Th. XLIX.

De crassiore *instrumentali*, & ipsa omnino *manuali*, artis potestate, utpote re propriâ suâ luce atq; evidentiâ conspicuâ, non necesse ducimus verba facere. Illud solum commendamus, ut *Medica Chirurgia*, in remediorum *Pharmaceuticorum* magis immediata, & subinde *manuali*, applicatione, fundata, cum majore, quam fere vulgo fit, considerantia, à *Medicis* ad animum revocetur; & turbulentis tonsorum ineptiis, atque imperitiæ nudè empiricæ, minus indulgenter, nedum plane negligenter, relinquatur: verum etiam hac in parte, *potestas artis* pro alterativa *correctione*, per magis immediatum *materialem contactum*, aliquanto majore cum studio, quam prope modum universaliter factum deprehendimus, dignitati suæ asseratur. Neque vero etiam de potestate artis circa SOPITIONEM motuum variorum, necesse ducimus multa verba facere; nisi quod in genere monendum ducamus, ut quasi universaliter hæc ipsa etiam *potestas*, tam ad *causas*, quam ad *motus* excussorios adversus tales causas directos, certe *prudenter* æstimanda veniat atque excercenda: deductio vero hujus theorematism secundum varias *species* casuum, quemadmodum nostræ tractationis instituto non quadrat, ita etiam hoc loco à nobis non poterit expectari. Unde suffecerit, eandem, cum quibuslibet reliquis, imprimis *adstrictoriis*, *cohibitoriis* excretoriarum intentionum atque actionum, potestatibus, scientiæ atq; prudentiæ solertissimæ artificum, commendare.

Ita vero suscepto in nos labore, quantum satis est perfunctos nos esse confidentes, Divinæ benedictioni, pro præstitis viribus & subsidiis, humillimas gratias habentes, saluberrimum nostrarum animadversionum usum devotissime commendamus.